

22590

*Levines decanter*

CAII PLINII SECUNDI  
HISTORIÆ NATURALIS  
LIBRI XXXVII

CUM SELECTIS COMMENTARIIS J. HARDUINI AC RECENTIORUM INTERPRETUM  
NOVISQUE ADNOTATIONIBUS

—  
PARS TERTIA CONTINENS ZOOLOGIAM,


GEORGII CUVIER

NOTIS ET EXCURSIBUS ILLUSTRATAM,

CURANTE

Jo. B. Fr. STEPH. AJASSON DE GRANDSAGNE.

—  
VOLUMEN TERTIUM



PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

PORSEOS LATINE PROFESSOR

—  
MDCCCXXVII

coeuntium, facie et auriculis hominis, oculis glaucis, colore sanguineo, corpore leonis, cauda scorpionis modo spicula infigentem: vocis, ut si misceatur fistulæ et tubæ concentus: velocitatis magnæ, humani corporis vel præcipue appetentem.

XXXI. In India<sup>1</sup> et boves solidis unguulis, unicernes<sup>2</sup>: et feram nomine axin<sup>3</sup>, hinnulei pelle<sup>4</sup>, pluribus candi-

<sup>4</sup> Brod. l. V, c. 24. De fabuloso animale plura, si vis, reperias apud Ælian. Histor. Animalium libro IV, capite 21. DALEC. — *Mantichoram*. Ita MSS: omnes, ipseque Aristoteles, Hist. lib. II, cap. 11, p. 189: Μαντιχώραν vocat. Quanquam, ut recte monet Dalec. Ctesias ante laudatus, nisi error librariorum est, Μαρτιχώραν, eamque vocem id Indis sonare ait, quod Græcis ἀνθρωποράγος; sequiturque Philostr. de vita Apoll. III, 14; p. 150. H.—Perabsurda et dementiā fere arguens fabella de Mantichora e Ctesia est, Indic. cap. 6; quam ita non prætermittit Aristoteles, ut tamen bis moneat dubitationem summam, bis fassus, Ctesiam solum de miraculo auctorem. At Plinius, quem Ælianus, Hist. Anim. lib. VI, cap. 21, sequitur, Ctesiam quoque nominat, se dubium minime innuens; unde quid judicii viro tute judica. Celeberr. HERREN (Hist. Commerc. apud Veteres) suspicatur hoc Ctesiam peccasse, nempe quod temere in rerum natura extare crediderit quæ in emblemate mythico hieroglyphicoque viderit. Nam hodie quoque in Persepoleos ruinis cernitur fera illi similis quam Ctesiaca descriptio exhibit; quam in Tabulis Chalcogr. Itiner. Persic.

CORN. LEBRUN, tab. 126, adi. Cartero Indiam quoque fabula pervaserat, siquidem Iarchas gymnosophista (Philostr. vit. Apollon. lib. III, cap. 14) descriptionem quamdam suam, Ctesiacæ similem, Apollonio ingerit. Pausanias tamen conjicit commenti originem tigrim esse male ab his spectatam quos terruerat. CUVIER.

XXXI. 1. In India. Hactenus de Æthiopia: nunc ad quadrupedes Indico sub caelo genitas translit oratio. Boves Indiæ unicernes laudat etiam Solinus, loc. cit. HARD.

2. In India et boves... unicernes. Iterum e glyphis Persepolitanis animal. In his enim (LEBRUN, tab. 129) quadrupes fera cernitur unicornis cum viro, qui forte rex est, summa vi luctata. CUVIER.

3. Axin. Quamvis huic cornua Noster non dicit, probabilis horum opinio est qui de Gangetico cervo (*cerv. axis* Linn.) explicuerunt; quippe qui hinnulei instar maculas habet, sed lucido magis candore spectabiles. CUVIER.

4. Hinnulei pelle,... *sacrorum Liberi Patris*. Ita MSS. omnes, non ut editi, *hinnuli*. Ita Horatius ipse, «Vitashinnuleo me similis, Chloe.» Mox item, *sacrorum Liberi Patris* rescriptsimus, eorumdem MSS. et Parmensis, aliarumque vetustarum

busque maculis, sacrorum Liberi Patris<sup>5</sup>. Orsæi Indi<sup>6</sup>  
is cudentes<sup>7</sup> toto corpore venantur. Asperrimam au-  
feram monocerotem<sup>8</sup>, reliquo corpore equo similem,

ium admonitu : quas neglexit  
laus, ut *sacram* scriberet :  
stigatione recepta *Libero Pa-*  
*bendum* fuit, non *Liberi Pa-*  
que enim Rob. Stephanum  
quem Barbarus in fraudem  
, ut in *Thesauro latinae lin-*  
*pulari* recte affirmaret, *Sa-*  
*genitivo*: idque hujus unius  
depravati, ut vidimus,  
ate stabiliret. Porro de axi  
hiopica nihil adhuc com-  
HARD. — Vid. not. 3. *Aj.*  
*orum Liberi Patris*. Hoc est,  
i sacris privatum dicatam.

*sei Indi*. Indos Nysæos hoc  
elligendos esse putat Al-  
Quadruped. lib. I, cap.  
ue ex Ligori nummo col-  
us epigraphen legit nxx-  
um monocerote ex aversa-  
ri errorem in hac epigra-  
nda detegit Spanhemius,  
. de usu Numism. p. 138,  
esium, Var. Lect. lib. XI,  
ARD.  
*ias cudentes*. De hoc si-  
enere multa Philostratus,  
Apoll. lib. III, cap. 1,  
HARD. — *Orsæi Indi si-*  
*entes*. Ολόδευκον (si fas ita  
miam AUBREBERT descri-  
m pro oculis habens in-  
gio; nominavitque *si-*. Sed haec forte indivi-  
as; similesque passim in-  
itisse non incredibile est.  
Iltus est Philostratus, si  
credas; sed loco cit. nil

video præter commenta de simiis  
piperis arbores colentibus bene  
multa, de candore aliquid frustra  
quæro. Cuvier.

8. *Monocerotem*. Diversa plane  
haec fera est ab asino Indico, quan-  
quam et ipse monoceros, sive uni-  
cornis est, et solidipes : non ut ista,  
elephantinis pedibus. Diversam  
utriusque animalis descriptionem  
habet Manuel Phile, lib. de Propr.  
Animal. pag. 86 et 90. Hanc vero  
quam Plinius refert, totidem ver-  
bis mutuatus est ab eo Solinus,  
cap. LII, pag. 80. Rhinocerotem  
porro cum monocerote cave con-  
fundas : gestat in nare cornu ille,  
iste in fronte. Monocerotem in su-  
perioris Æthiopie jugis crebro re-  
periri Marmolius est auctor, a quo  
ea fera describitur accurate, lib. I,  
cap. 23, pag. 65. Nostris, *la li-*  
*corne*. HARD. — Quas vero et qua-  
les et quam maliiformes de se lites  
hoc animal moverit, vel e nostrate  
MALTR-BRUN perspicie, qui in suo  
*Précis de la Géographie universelle*,  
lib. XCII (tom. V, pag. 71, Par.  
1817) sic habet : « On a récem-  
ment retrouvé ici la li-  
corne ou le *monocéros* des anciens ;  
circonstance qui, si elle pouvait  
être démontrée, jetterait un grand  
intérêt sur cette région. Un auteur  
estimable du seizième siècle (GAR-  
CIAS, *Hist. Arom.* lib. I, cap. 14)  
a rapporté que les premiers navi-  
gateurs portugais virent, entre le  
cap de Bonne-Espérance et le cap  
Corrientes, un animal qui avait la

capite servo, pedibus elephanto, cauda apro, mugitu

tête et la crinière d'un cheval, avec une seule corne mobile. C'est précisément dans cette même région que deux bons observateurs modernes (SPARRMANN, *Voyage au Cap*; BARROW, *Voyage à la Cochinchine*) ont remarqué un grand nombre de dessins d'un animal unicorne; tous les rochers de Camdebo et de Bambo en sont couverts. Les colons hollandais affirment avoir vu de ces animaux vivants, et en avoir tué quelques-uns : ceux-ci ressemblaient à des quaggas ou chevaux sauvages; la corne était seulement adhérente à la peau. Ces témoignages positifs, mais malheureusement provenant de témoins peu instruits, sont cependant corroborés par le rapport de BARTHÉMA (ou VARTEMAN) qui, dans le quinzième siècle, vit à la Mecque deux licornes semblables à des antilopes : elles étaient venues d'Éthiopie (BARTHÉMA, *de Arabia*, lib. I, cap. 18). Les anciens ont sans doute parlé de leur monocéros d'une manière souvent fabuleuse, et toujours vague ; cependant ils le comparent unanimement (Onesicrit. ap. Strab. tom. XV, pag. 489, ed. Casaub.) à un cheval pour le corps, à un cerf pour la tête ; ce qui prouve qu'ils ont eu en vue un animal différent du rhinocéros. Outre cet unicorné semblable à un cheval, les anciens nomment encore distinctement l'âne unicorné, auquel ils attribuent une grande taille, une corne rayée de blanc, de noir et de brun, une extrême vitesse, l'amour de la vie solitaire ; ils le font solipède, comme le che-

val unicorné ; circonstance qui répond à l'objection systématique des anatomistes, tirée de l'analogie des animaux à pieds bifourchus, qui tous ont deux cornes. D'ailleurs cette objection de nos savants infâillibles n'est pas tout-à-fait solide, puisque d'abord il existe des antilopes chez qui les deux cornes sortent d'une base commune élevée de de deux pouces au-dessus de la tête. Or, qui peut donc empêcher la nature de prolonger cette unité depuis les deux bases jusqu'à la pointe ? En outre les rapports de ceux, parmi les modernes, qui prétendent avoir vu la licorne, tranchent cette difficulté en représentant la corne comme adhérente seulement à la peau, comme celle du rhinocéros. L'existence de la licorne n'est donc pas impossible, comme on l'a dit ; mais elle n'est pas non plus prouvée, ni même très-vraisemblable. Cette race, comme tant d'autres, a pu s'éteindre. Mais soit que cet animal existe ou n'existe pas, les peintures qui le représentent sur les rochers de l'Afrique australe n'en sont pas moins des documents très-curieux : elles concourent à prouver les anciennes liaisons de la Cafrière avec l'Asie ; car l'image de la licorne était chez les Perses et chez les Hébreux le symbole du pouvoir monarchique ; c'est comme tel qu'il figure sur les monuments de Persépolis. • Sed omnes nodos quo hic in scirpo male quæsivit MALTE-BRUN solvit de-nuo G. CUVIER, in nota quam ad calcem libri *Excursus vice rejec-tus*. Vid. *Excurs. IV. As.*

gravi, uno cornu nigro media fronte cubitorum<sup>9</sup> duum eminente. Hanc feram<sup>10</sup> vivam negant capi.

XXXII. Apud Hesperios Æthiopas fons est Nigris, ut plerique existimavere, Nili caput : argumenta, quæ diximus<sup>1</sup>, persuadent: juxta hunc fera appellatur catoblepas<sup>2</sup>, modica alioquin, cæterisque membris iners<sup>3</sup>, caput tantum prægrave ægre ferens : id dejectum semper in terram : alias internecio humani generis, omnibus qui oculos ejus videre confestim exspirantibus.

XXXIII. Eadem et basilisci serpentis<sup>4</sup> est vis. Cyre-

9. *Uno cornu nigro media fronte cubitorum duum eminente.* Male Solinus hoc cornu longitudinem quatuor pedibus emensus est, c. LII, pag. 80, perinde quasi cubitus duos pedes contineret. Nam sesquipedipar est cubitus, auctore Vitruvio, lib. III, cap. 1, pag. 39, hoc est, pedem cum dimidio aquat, colligens digitos duodeviginti, quum pes ipse duodecim constet. HARD.

10. *Hanc feram.* De asino Indico, qui pariter monoceros est, id quoque Ctesias refert, loc. cit. et ex Ctesia Ælianus, Hist. Anim. lib. XVI, cap. 20. HARD.

XXXII. 1. *Quæ diximus.* Lib. V, cap. 10. HARD.

2. *Catoblepas.* Iisdem fere verbis totus hic locus a Solino repetitur; cap. xxx, pag. 56. Hæc fera capitatis immodici pondere prægravatur, adeo ut nunquam non humili despiciat: unde et illi nomen: nam κάτω δερσυμ est, et βάπτιν aspicere. H. — Ælianus, lib. VII, c. 5, fusiūs describit: Tauro similem, altis et densis superciliis, oculis bubulis sanguine suffusis, ad terram vertentibus, juba equinæ similis, frou-

tem et faciem occupante. Dein, eadem quæ in Plinio fabella de ejus aspectu. Utriusque conjunctis indiciis, nulli dubitamus de *Gnu* (*Antilope Gnu*, Gmel. Buff. suppl. VI) agi. Nullum enim animal tot superstitionis nugis ansam præbere debuit; nulli facies a consueta remotor, nulli illætabilior oculus; præcipue ob longos pilos superciliorum et jubam in fronte et naso, quæ in nulla animantium gente præter hanc aspiciuntur. CUVIER.

3. *Modica alioqui, cæterisque membris iners.* Mallet Pellicerius in notis MSS. *non iners*: ut sententia foret, cætera quidem hujus feræ membra esse modica, sed eorum tamen ministerio satis agiliter et commodeuti, excepto capite. Verum huic conjecturæ repugnant quom Solinus, tum libri omnes. H. — *Iners.* Hanc hujus feræ descriptionem sumpsisse Plinius non videtur ex Alexandro Myndio, qui de ea multa prolixè scripsit libro II de Pecudibus et Quadrupedibus, ut auctor est Athenæus, lib. V, pag. 221. Accuriorum paulo ea est quam tradit Ælianus, Hist. Anim. lib. VII, c. 5. HARD.

XXXIII. 1. *Basilisci serpentis.*

naica hunc generat provincia, duodenum non amplius digitorum<sup>2</sup> magnitudine, candida in capite macula, ut quodam diademate insignem. Sibilo omnes fugat serpentes<sup>3</sup>: nec flexu multiplici, ut reliquæ, corpus impellit, sed celsus et erectus in medio incedens<sup>4</sup>. Necat frutices, non contactos modo, verum et afflatos: exurit herbas, rumpit saxa. Talis vis malo est. Creditum quondam<sup>5</sup>, ex equo

Hunc iisdem verbis Solinus describit, cap. xxvii, pag. 53, et Nicander in Theriacis, pag. 28. HARD. — *Basilisci serpentis*, etc. Supervacuum hodie est de basilisci aspectu commenta confutare. Notabimus unum hoc, in Plinio tantum de anguiculo agi cui in capite macula candens; aliis posthac fuit anguis corona vera redimitus. Cuv.

2. *Non amplius digitorum*. Aetio, παλαιστῶν τριῶν, quod cum Plinio convenit. DALEO. — *Duodenum non amplius digitorum magnitudine*. In MS. Parisiensi, *duodecim*. In aliis omnibus libris XII. Consentit Nicander in Ther. pag. 28, ubi basiliscus describitur: ἐπὶ τρία δῶρα φέρων μῆκός τε καὶ ὅθην, cui mensura modusque tripalmis. Doron enim palmus est: habet autem palmus quatuor digitos, ut ait Vitruvius, lib. III, cap. 1, pag. 40. Palmus, inquam, non major, qui σπιθαμὴ a Græcis vocatur, de quo nos agemus libro seq. cap. 17. Sed minor, qui παλαιστὴν, hoc est, mensura, ut diximus, quatuor digitorum, ut sunt in manu, conjunctorum, sine pollice. Unde Aetius (vide supra) παλαιστῶν τριῶν. At in corruptos Plini codices incidiisse Solinum necesse non est confiteri, eo quod quum de eodem basilisco scribens, c. xxvii, pag. 52: «Pæne, inquit, ad semi-

pedem longitudinis. » Duodecim enim digitis pes ipse constat: unde semipes vi colligit. HARD.

3. *Sibilo omnes fugat serpentes*. Äelianus id quoque, Hist. Anim. lib. II, cap. 7, ex Archelao. Lucanus eleganter, lib. IX, v. 724: «Sibilaque effundens cunetas terrentia pestes, Ante venena nocens, late sibi summovet omne Vulgus, et in vacua regnat basiliscus arena. » HARD. — *Sibilo omnes fugat serpentes*. Similis ἵσπος ὅφις in Asia, cuius meminit auctor περὶ θαυμ. ἀκουσμ. Vide infra lib. XXIII, cap. 4. DAL.

4. *Sed celsus et erectus in medio incedens*. Legend. *Sed celsus et erectus medio incedens*, id est, media parte. Scribit enim Plinius basilicum media parte corporis serpere, media erectum et celsum incedere. SALMAS. pag. 371. Et circa finem lege: *inficiunt eas cavernis*, per vim scilicet eas infulciunt intrare nolentes: vulgo legitur *injiciunt*. SALM. pag. 372. — *In medio incedens*. Solini paraphrasis: «Quum movetur, media corporis parte serpit, media arduus est et excelsus. » HARD.

5. *Creditum quondam*. Scripsimus ex MSS. Reg. 1, 2, Colb. 1, 2, Paris. Chiff. etc. *Creditum quondam ex equo occisum*, subintellige, basilicum: prius *occiso* legebatur: quod quidem tolerari utcumque

## EXCURSUS IV

Ad ea Plini verba , cap. 31 , pag. 403 et 404 :

*Asperrimam autem feram monocerotem , reliquo corpore cquo similem , etc.*

Hic non iutempeste definies quid de iis censendum quae diu nec sine tedium disputata sunt , dum variis in locis apud Veteres de unicoribus agitur.

Certum sane est non solum tales feras nemini hodie visas , sed et nulla in sylloge tales extare , nulli unquam tales ante oculos existisse , nisi rhinocerota . Cornu impar facile nosceretur ob aequalitatem et , ut aiunt , συμμετρίαν . Cornu aliud quodlibet plus minus obliquum est , aut certe etiam si rectum sit , non easdem omnino habet levam partem et dextram , vel intimam et extimam . Solum pro cornu unicornis datus hactenus est dens narvalis . At ille quanquam saepius unicus est , non ideo impar videri potest ; nam in uno ossium intermaxillarium radicem habet , at in altero germen alterius dentis , et aliquando dens . Tum e natura ipsius deutem id , non os esse , res notissima est .

Nunc , queso , quum tanta nulla non die cura impendatur in colligendis naturalium rerum miraculis , quidni talia in Museis nostris cornua adspectarentur , si qua usquam forent ?

At cur toties de his Veteres ? Alii nempe rhinocerotis descriptiones minus accuratas exscripsere ; alii realitatum loco habuerunt imagines , vel ex ingenii deliramentis profectas , vel mutillas ; quidam et casu amputata corpora integra crediderunt . Quod facile demonstraverim testimonij collectis expressisque auctoritatibus .

Quinque apud Veteres recensentur animantia μονοκέρωτα :

- 1° Nempe Asinus Indicus ;
- 2° Equus Unicornis ;
- 3° Bos Unicornis (nota hos , etiam bovem , solipedes habitos ; Plin. lib. VIII , cap. 31 );

4° Monoceros propriæ dictus , cuius pedes modo cum elephantis (id. ibid. cap. 31 ) , modo cum leonis (Philostorg. lib. III , cap. 11 ) pedibus conferuntur ; unde belluam intelligis esse fissipedem .

5° Oryx Afer , cui pes bifidus , pili retrorsus acti (Arist. Hist. Anim. lib. II , cap. 1 , et lib. III , cap. 2 ; Plin. lib. XI , cap. 46 ) , statura bovis (Herod. lib. IV , cap. 192 ) , aut rhinocerotis (Oppian. in Cyneget. lib. II , vs. 551 ) , et quem cervi , aut capræ forma non absimilem aiunt (Plin. lib. VIII , cap. 53 ).

In asino tria distinguenda, nempe unici cornu dotes, mox descriptio, tum anatomicus quidam χαρακτήρ.

Venale ferri, aut dono dari solitum dicunt cornu quoddam pretiosissimum, cuius hæc virtus, ut si quis illo biberet, inaanabiles morbos præverteret, veneno intactus foret, vel haustum paulo ante virus evomeret, etc. Vid. Ælian. Hist. Anim. lib. IV, cap. 52. Atqui his dotibus pollere narratur in Oriente cornu rhinocerotis. Indici principes vasa sibi dent mutuo ex hoc cornu conficta, et magni aestimant, quia in his sibi videntur remedia habere contra rem illis formidatissimam, venenum. Asini Scythici cornu in Delphico templo Apollini ob hoc dicatum ab Alexandro, quod solam in rerum natura aquæ Stygiæ impervium foret (Ælian. Hist. Anim. lib. X, cap. 30), nil aliud fuisse videtur. Nec quisquam credit, etiam si hæc de consecratione historiunctula vera sit, ab Alexandro experientiam factam. Illa cornua in mercimoniis ex Oriente advectis diu fuere, antequam rhinoceros innotesceret, ut diu venale ebur fuit, nondum nato elephante. Mox, quum necesse esset mercibus nomen quodlibet dari, ex asino Indico hoc dixere, non magis immerito quam Romani elephantem dixerunt Lucam bovem. Tum quum asinus ipse nuncuparetur, conjecterunt sophi solipedem esse animantem.

Objicies forsitan in Æliano accuratam descriptionem asini Indici legi, Histor. Animal. lib. IV, cap. 52. At id e Ctesia, ut patet ex totius capitii tenore; Ctesias vero auditæ, non visa, congesserat.

Instabis, et hoc dices quod validissimum primo videbitur, nempe Aristoteli visum animal, quippe qui osteologicas tricas de eo conscripsit, dum hanc inter solipedes feras solam ait, astragala habere ita terminata, ut his ludere possis. Hic enim sensus duarum vocum ἀστράγαλος ἔχει, circa quas laboraverunt Camus aliqui interpretes, quos non fugiebat quadrupedi cuilibet esse astragala. Sed e sententiarum nexu liquet astragala a Stagirita duntaxat ea astragala nominari, quæ formam eamdem habent ac ossicula, quibus ad ludendum utimur, v. g. ossicula vervecis. Ergo, Aristotelis mente, astragala tantum in ruminantibus, hippopotamo, sue, et hoc animante quem a me repertum appellavi *Anoplotherium*. Sed nota e Ctesia quoque hoc depromptum, et illius narrationi quam servavit Ælianus, lib. IV, cap. 52, aliquid inesse, quod dubitationem moveat; nempe ossiculum natura sua nigrum esse, quum intima, tum extima parte. Ubi os mihi ostendetur nigrum, asinum μονόκεφων credam revera existisse.

Nec multum incommodi hos aut equus μονόκεφως creaverint. Quum enim utrumque solipedem representent, ab asino minime discrepant varia nomina; sed idem animans, idem φάντασμα.

Ubi vero ex India relationes, aut effigies minus incertæ venerunt, et de digitorum divisione actum fuit, qui asinum modo celebraverant, speciem novam excogitaverunt; unde Monoceros. Cuinam auctori descrip̄io sit danda, quam Plinius breviter, fuse Ælianus, lib. XVI, cap. 20, servavit, in incerto est. Sed cauda suis, pedes elephanti, mugitus, et vivum comprehendere conantium irritus labor, ad rhinocerotem aptius

## 632 EXCURS. IV DE MONOCEROTE.

sane referunt, quam asini silvestris descriptio. Videtur et qui primum de illo animante egit, asinum Indicum aut ignorasse, aut negasse; alioqui non dedisset huic ambiguum nomen, μονόκερων, quod et aliis convenit. Cæterum ut intelligas quonodo tales nugæ usque et usque cantillatæ, satis erit descriptiones animalium hodie notissimorum legas, quas priores viatores (modo rerum naturalium inscii) reliquerunt. Comparationibus nunquam non utuntur, undecumque deductis; excrisperent mox compilatores; et sane, si libros non servaremus alias, quid de Abada, Capivara, et tot aliis diceremus, non melius descriptis?

Notabo et hoc male per vocem *licorne* verti τὸν *monoceros*; quam in stemmatibus *licorne* dicimus, hæc est Veterum Oryx.

Oryx (nempe *Antilope Oryx* Pall. cui interioris Africæ montes patria sunt, ac nomen immerito a nostrate *BUFFON* iinpositum *Pasan*, ab his qui Bonæ Spei promontorium tenent, *chamois*) potuit facilime omnium inducere in errorem spectantes, et quadrupedem unicornem representare. Nam longissima huic et fere recta cornua, ita ut unum si videris, credas libenter hoc sine pari esse. In Ægyptiacis monumentis stat ejus effigies, et ut multorum quadrupedum, obliqua imagine est; unde unum cornu et duo pedes, unus anterior, unus posterior, non quod artifices talium rerum delineandi regulas ignorarent, sed quia et exemplaria prius nota necesse erat sequi in picturis, quæ scriptura loco erant, et jusserat sic religio. Tum oryges unicernes nonnunquam visos non infior, sive casu aliquo mutilos, sive nascendo informes; non secus quam, ut D. D. Pallas narrat, unicernes et tricornes *saigas* reperias, quos bicornes vulgo parit natura. Certum aliunde est *Antilopen Orygem* Pall. eamdem cum Veterum oryge esse. Illi enim conveniunt Arist. Hist. Anim. lib. II, cap. 1, et Oppian. Cyneget. lib. II, vs. 445, descriptiones. Africæ montes incolit, usque ad fines Ægypti crebro vagata. Hunc hieroglyphice exhibit. Forma a cervo non abest; statura fere eadem cum bove; pili in tergo versus caput eunt; cornuum armatura terribilis, acuta ut jaculum, dura ut ferrum; villi cinerei albide; facies lineis et quasi fasciis nigris exarata. Operæ pretium est meminisse Oppiano, cui veriora quam Aristoteli, certe et recentiora documenta abunde suppeterabant, non unicornem esse orygem; oryx apud illum cornua habet, unus plura. Immo Ælianus orygem quemdam ait (lib. XVI, cap. 14) τετράκερων fuisse.

Angli, quibus antiquius videtur in rerum natura μονόκερων reperire (an quia Angli regis stemma *licornis*?), nuper asseveraverunt in interiore Africa et Industhanicis montibus hunc visum. At argumenta, in Africa imagines rupibus insculptæ ab incultis gentibus, in India incolarum narrationes, sive ipsis in locis natorum, sive fortuito peregrinantium. Nullus ex Europa oculatus testis hucusque unicornem probat.

CUVIER.